



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Actus interni castitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

Personas, erga quas quis sentit peculiarem amoris affectum, in sensu fundatum, dextrè relinquere, & cautè cum illis conversari. VI. Ex desiderio castitatis corpus abstinentiâ, flagello, cilicio, vel aliis asperitatibus domare. VII. Ipsas etiam remotas cogitationes non admittere, multa celeritate ac diligentia eas statim in capite conterendo: quod rectissimè facillimèque fit avertendo mentem ad alia; vel, si fieri potest, etiam sensus externos occupando lectione libri, colloquio, oratione, numeratione rerum obviarum v.g. rotularum in fenestra. VIII. De persona amata & periculosa nullam penitus, ne honestam quidem cogitationem admittere, ita ut, si fieri possit, etiam memoria illius demum deleatur. IX. Nullum actuum externorum, qui castitati opponuntur, admittere. X. Ne quid ex incauta ignorantia contra castitatem admittatur, sufficientem hujus virtutem & vitii oppositi cognitionem quærere: in quo tamen ipso magnâ opus est cautelâ & circumspèctione, ne videlicet quisquam addicat, quæ meliùs ignoraret.

Actus interni castitatis.

39. Possunt isti hâc vel simili formâ elici, sive sola mente, sive mente simul & voce. I. Purissime, & amore toto dignissimè DEUS, constituo ab omni delectatione prohibita, speciatim hâc N. abstinerè propter te. II. Castissime Fili castissimæ Virginis, da mihi, casto corpore & anima tibi servire: quod opto & oro per immaculatæ Matris tuæ merita & intercessionem. III. Amabilissime JESU, pango fædus cum oculis meis, quòd rerum corporearum decorem non sim in-

R. P. Stoz Trib. Pœnit.

tuturus; pango fædus cum manibus meis, quòd me vel alium non sim indecenter tacturus &c. IV. Suavissime decor animæ meæ, propono firmissimè amore tuî, me ex rebus corporeis nec tactu, nec auditu, nec visu, nec alio modo (quoad meâ fragilitas feret) ullam delectationem pecepturum, tuâ adjutus gratiâ. V. Moriar potius Domine, quàm ut quidquam inhonestum contra puritatem admittam &c. VI. Per sanctam virginitatem & immaculatam conceptionem tuam, ô purissima Virgo, emunda cor meum, & carnem meam: In nomine Patris †, & Filii, † & Spiritûs sancti †, Amen.

Quodsi quis pro materia Examinis particularis elegerit Humilitatem, eam in suos actus tum externos, tum internos sic distinguat.

Actus externi Humilitatis.

40. I. Nihil loqui, quod redundet in propriam laudem, neque se, neque suos jactare. II. aliquem suorum defectuum in medium proferre, & sua vilipendere. III. Non ostendere ullam excusationem, nec in alios culpam transferre. IV. In functionibus externis, quantum in se est, abjectiores amplecti: item in congressibus locum honoratiorem aliis deferre; iis in omnibus cedere, & cum illis tanquam cum Superioribus agere. V. Cum quis contemnitur, nullum impatientiæ aut displicentiæ signum verbo factôve ostendere. VI. Nihil facere ob respectus humanos, sed omnia purè & sincerè propter DEUM.

Actus interni Humilitatis.

41. I. Seipsum agnoscere, & cogitare,

Uu re,